

ALNETANARUM QUÆSTIONUM  
 LIBER TERTIUS.  
 PRÆCEPTORUM  
 CHRISTIANORUM ET ETHNICORUM.  
 AD VITAM  
 PIE RECTEQUE INSTITUENDAM PERTINENTIUM  
 COMPARATIO.  
 ANTECESSIO.

I. *Exordium.* II. *Libri argumentum.* III. *Ejusdem partitio.*



UM sapientissimis magistris usus essem ab adolescentia, atque ita ab iis accepissem, nullum nobiliorem utilioremve bonarum literarum esse fructum, quam cognitionem veritatis, per quam nitur ad ultimum bonorum; tam altis id in animo meo defixum est radicibus, ut non alio deinceps assidue & diuturnæ studiorum meorum contentionis proposito fini, curam illuc omnem induitriamque conferrem. Quoniam autem sic eram ab iisdem præceptoribus, & jam ante à parentibus institutus, ut certo persuasum haberem, Deum veritatis omnium fontem esse, ipsamque adeo primam veritatem, in eoque positum esse finem omnium bonorum, & supremam hominis beatitatem; optimum factu existimavi, si veritatem hanc, quam institutione jam ac Fide præceperam, meditatione quoque & Ratione consequerem; ut consentiente gemino hoc veritatis adipiscendæ instrumento, Fide & Ratione, bonum hoc, quo præstantius nullum est, summæ veritatis notitiam, proprium certumque habere possem. Nam qui in veri possessionem, Fidei unius ductu & auspiciis, non adhibita Rationis ope venissent, quamvis stabilem eam haberent ac perennem, magno tamen illos præsidio, hanc ornamento carere censebam. Cum præsertim jubeant nos literæ sacræ, *paratos esse semper ad satisfactionem omni pos-* 1. Pet. 3, 15.  
*scenti nos Rationem de ea, quæ in nobis est, spe:* Et Episcopum velit Paulus Tit. 1, 9.

*Exordium.*

*ample-*